

et in tuto ponatur validitas dispensationis. Unde dici potest S. Congregationem sese abstinuisse in puncto juris explicite resolvendo.

32. Quidquid vero sit credo nullitatem dispensationum in facta hypothese restringi ad dispensationes, quas Major Pœnitentiarius concedit ex facultatibus sibi tributis, non autem extendi ad eas, quæ conceduntur ab ipso Pontifice per organum S. Pœnitentiariæ, quia hisce dispensationibus potest aptari ratio a Doctoribus citatis allata.

In mandato dispensationis, quod a S. Sede Apostolica conceditur apponi solet clausula: 'Si preces veritati innitantur'. Quare videndum est, quænam in precibus sint exponenda ab oratoribus.

33. In precibus, quæ afferuntur sive Datarie Apostolicæ sive Sacræ Pœnitentiariæ ad dispensationem obtinendam 1^o. sincere est exponenda series circumstantiarum facti, namque in dispensatione habetur clausula 'Si vera sint exposita' 2^o. exponenda est causa, vel exponendæ sunt causæ, quæ rationabilem reddant actum superioris in dispensando. Porro causæ hujusmodi sunt a) Excellentia personarum; b) eximia merita in Ecclesiam; c) spes componendi lites vel avertendi periculum futurarum controversiarum inter familias; d) evitatio vel reparatio scandali; e) angustia locorum vel saltem angustia loci mulieris; f) defectus dotis; g) infamia mulieris; h) ætas mulieris ipsius, quæ excesserit annum vigesimum quartum, idest saltem vigesimum quintum attigerit, quando tamen agitur de puella nubili non autem de vidua pro qua magis attenditur ætas junior. Quatuor postremæ causæ statutæ sunt in favorem mulieris, eo quia posita aliqua ex his causis mulier difficilius inveniret alium virum, qui non esset sibi conjunctus aliquo vinculo impediti.

34. Quærunt Doctores quo tempore verificari debeant hujusmodi causæ ut valeat dispensatio, an tempore datæ dispensationis, an sufficiat verificentur causæ tempore executionis. Supponimus in precibus locum non habuisse malam fidem sed circumstantias facti expositas fuisse in bona fide.

Quo posito communissima Doctorum sententia tenet satis esse si causæ verificentur tempore executionis dispensationis. Ratio est quia quando Romanus Pontifex literas Apostolicas concedit, ipse neque expendit veritatem causarum, neque revera concedit dispensationem, sed constituit executorem tamquam judicem, qui

videat utrum causæ veræ sint, et posita veritate causarum ipse dispensat, nempe dat mandatum ad dispensandum.

Præstat afferre verba Pyrri Corradi, qui in materia disputationum vere est magister. Hic in cit. opere '*Praxis dispens.*' lib. 7. cap. 6. n. 25. alludens ad regulam practicam ita scribit: 'Et sufficit, ut alias diximus, causam ipsam verificari tempore executionis literarum, licet tempore impetrationis illarum non esset vera.'

Et ita practicatur: nam quamvis Abbas in cap. '*Quia circa De consang. et aff.*' dicat causam debere verificari tempore datæ, loquitur tamen de dispensatione jam facta, prout antiquitus fiebat, cum hujusmodi dispensationes concederentur in forma gratiosa, et sic erat gratia facta, non autem his temporibus, quibus non dantur amplius sub dicta forma, sed datur tantummodo mandatum de dispensando.

35. Quæritur utrum si duplex vel plures causæ sint expositæ, et quidem omnes in bona fide, et non omnes tamen veræ sint, utrum in hoc casu valeat dispensatio.

Respondemus: Duplex hypothesis fingi potest: 1^o. Si singulæ causæ expositæ ex se non sint sufficientes, sed tamen earum complexus talis sit, ut rationabilem reddat dispensationem et sufficiat ad movendum animum dispensantis; in hypothese ista si una ex allegatis causis deficiat dispensatio non valet, nam quando uti singulæ non valent causæ attenditur complexus, qui ex pluribus resultat, juxta principium juris 'Singula, quæ non prosunt simul collecta juvant'. Atqui quando agitur de aliquo composito si unum ex elementis deficiat, totum non subsistit. Ergo a pari in casu nostro non verificatur motivum sufficiens dispensationis. Ita de Justis, *De dispens. l. 3. c. 1. n. 64.*

36. 2^a hypothesis est si ex allegatis causis saltem una sit canonica et sufficiens, ac insuper veritate nitatur, error autem cadat super reliquas causas. In hac hypothese dispensatio sustinetur, quia verificatur causa motiva ad dispensandum. Unde propositio copulativa (ut notat Sanchez) referens varias causas resolvitur in propositionem disjunctivam, et sic dispensatio valet.

37. In ordine ad sinceram expositionem circumstantiarum facti debet attendi stylus Curie, videlicet omnia debent exponi, quæ juxta hunc stylum requiruntur pro valore dispensationum. Hinc 1^o. si plura adsint impedimenta inter nupturientes omnia debent exprimi in eodem supplici libello, scilicet non potest dispensatio

peti singillatim pro singulis impedimentis. Ratio est quia quando inter duos plura adsunt impedimenta, majus vinculum propinquitatis intercedit inter eosdem et per consequens major est difficultas obtinendæ dispensationis. Hinc si unum tantum exponeretur impedimentum superior dispensans non cognosceret verum statum rerum.

38. Et quidem hac in re adeo sunt rigidi Doctores, ut dispensationem a nullitate non liberent, licet aliud impedimentum reticatum fuerit ab oratoribus ex ignorantia.

39. Ex dictis enasci potest quæstio. Duo oratores ligantur duplici impedimento. Unum est circa quod dispensare potest Episcopus virtute indulti Apostolici, aliud autem reservatur Sanctæ Sedi. Petita et obtenta est a Sancta Sede dispensatio circa impedimentum reservatum. Deinde cognitum est aliud impedimentum non reservatum. Poteritne Episcopus uti indulto Apostolico, ad dispensandum circa hoc alterum impedimentum, aut exposcenda est revalidatio dispensationis Apostolicæ etiam circa primum? Respondemus, Episcopum non posse dispensationem in casu concedere sed rem iterum integre Summo Pontifici referendam esse. Et ratio est quia dispensatio prius concessa ab Apostolica Sede nulla fuit, eo quod Summus Pontifex alterum impedimentum ignoravit.

40. Quæritur quid si ex duobus impedimentis unum publicum sit, alterum vero sit occultum, ita ut absque periculo infamiæ non possit manifestari?

Respondemus: Praxis hæc inducta est, ut nempe expostuletur in forma publica dispensatio quoad impedimentum publicum, et deinde postuletur a S. Pœnitentiariæ dispensatio quoad impedimentum occultum, reticatis omnino nominibus oratorum. Attamen in precibus Sacræ Pœnitentiariæ hæc circumstantia debet notari, quod nempe oratores ligati alio impedimento publico de illo obtinerint dispensationem in forma publica.

41. 2º. Si incestuosa copula inter oratores locum habuerit, ad facilius impetrandam dispensationem, hæc circumstantia antiquitus erat exponenda. Nam in Rescriptis Apostolicis hæc clausula apponi solebat 'dummodo incestus non intervenerit ad facilius obtinendam dispensationem'. Quin immo juxta Constitutionem Benedicti XIV. '*Pastor Bonus*' § 41. factum incestuosæ copulæ habitæ inter ora-

tores erat exponendum sub pœna nullitatis dispensationis, licet oratores non habuissent intentionem facilius obtinendi dispensationem prædictam.

Verum hoc immutatum fuit per decretum datum ex Cancellaria S. Officii die 25. Junii 1885, quo statutum fuit et declaratum 'dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio, per eam facilius dispensationem impetrandi, reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus'.

42. 3º. Si matrimonium nulliter contractum fuerit et expostuletur dispensatio, debet in precibus exponi matrimonium fuisse contractum et utrum contractum fuerit in bona fide et præmissis vel dispensatis publicationibus, et utrum consummatum fuerit, et an consummatum fuerit ad facilius obtinendam dispensationem.

43. 4º. Si oratores duplici impedimento vel consanguinitatis vel affinitatis ligentur ob distinctum stipitem, hæc circumstantia exponi debet. Ita ex. gr. si matrimonium fuerit contractum a duobus fratribus, cum duabus sororibus, filii qui nascuntur, ex duplici capite sunt consanguinei paterno et materno, et per consequens in precibus debet exponi duplex origo.

44. 5º. Si oratores procedant quidem ab uno eodemque stipite, tamen non sint in gradu æquales, hæc circumstantia exponi debet quando unus ex contrahentibus jungatur cum stipite in primo gradu. Hinc si duo oratores sint in primo et secundo, vel in primo et tertio gradu, vel in primo et quarto, uterque gradus est exprimendus sub pœna nullitatis. Ita ex Const. S. Pii V. '*Sanctissimus*' diei 26. Aug. 1566.

45. Quin immo in praxi introductum est ut in genere quoties oratores constituuntur in gradibus inæqualibus, semper manifestetur nedum remotior sed et proximior gradus. Licet enim dispensatio directe cadat super remotiorem gradum eo quia juxta regulam canonicam remotior gradus propinquitatis attenditur, tamen in dispensationibus solet apponi hæc clausula 'proximior non obstante'. Hinc juxta pragmaticos si iudex delegatus agnoscat oratores esse adstrictos duplici et inæquali gradu consanguinitatis, simulque videat in dispensatione non reperiri clausulam 'proximior non obstante', debet sese abstinere ab exequenda dispensatione.

De executione Literarum Apostolicarum dispensationum matrimonialium.

46. Quamvis Romanus Pontifex possit dispensationes connubiales concedere in forma gratiosa, idest quamvis possit per se ipsum dispensationem concedere, tamen usus ordinarius invaluit, ut potius in singulis casibus tribueret alteri facultatem ad dispensationem concedendam. Quare in praxi ordinaria tum Datarie Apostolicæ tum Sacræ Pœnitentiariæ in dispensationibus pro utroque foro observatur forma commissoria, idest conceditur mandatum ad dispensandum.

47. Porro Concilium Tridentinum *Sess. 22. De Reform. Matrim. c. 5.* decernit ut 'Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur ordinariis illorum qui eas impetraverint'.

48. Huic normæ adhærens Sancta Sedes Literas dispensationum exequendas committit Ordinariis locorum. Et quidem juxta praxim regularem delegatio non fit personæ nominatim, sed fit dignitati et officio. Hinc in delegatione directe venit dignitas aut officium, persona autem venit solummodo indirecte; et per consequens, cessante persona, successor in dignitate vel officio potest Literas dispensationis executioni mandare. *Cap. 'Quoniam' Abbas 'De Officio Delegati'*. Hoc idem probat Giovine *'De dispensationibus Const. V. § 94.* per totum.

49. Solet vero committi executio Literarum dispensationis aliquando proprio oratorum ordinario. Aliquando vero commissio fit Episcopo, aliquando vero Vicario Generali, vel Officiali. Porro quando commissio conceditur Ordinario, executio Literarum perfici potest sive ab Episcopo, sive ab ejus Vicario Generali, seu ab Officiali; quando autem commissio fit Episcopo, aut Vicario Generali seu Officiali, solus Episcopus, aut solus Vicarius Generalis aut Officialis possunt Literas dispensationis executioni mandare. Hinc Episcopus non potest exequi Literas dispensationis Vicario suo seu Officiali directas. Ratio est, quia jurisdictio censetur concessa personæ, quæ ab officio determinatur. Unde si aliter fieret ob defectum jurisdictionis fulminatio dispensationis esset nulla.

Qua in re juxta mentem Sacræ Pœnitentiariæ in variis resolutionibus expressam, sequentes normæ præ oculis haberi possunt.

50. I°. Vicarius Capitularis, sede vacante, executioni mandare nequit Literas dispensationis a Dataria Apostolica vel a Sacra Pœni-

tentiaria Episcopo ante vel post ejus mortem, vel ejus Vicario Generali seu Officiali commissæ. Vicarius enim Capitularis non succedit in jurisdictionem specialiter delegatam personæ Episcopi, nec pariter Vicarius Capitularis in officio censeri potest ceu successor Vicarii Generalis demortui Episcopi.

51. II°. Juxta antiquam praxim, sede vacante, Sancta Sedes numquam Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniore committebat executionem Literarum dispensationis, teste Pyrrho Corrado *'Praxis etc. lib. 7. c. 4. n. 11'*. At postremis temporibus nova praxis inducta est, qua fit ut Dataria de morte Episcopi edocta, dispensationum executionem Vicario Capitulari committat.

52. III°. Vicarius Capitularis potest exequi Literas dispensationis commissæ sub formula 'proprio oratorum Ordinario.' Quin immo potest exequi etiam Literas sub prædicta formula concessas, quæ expeditæ fuerunt ante mortem Episcopi et ab eodem vel ab ejus Vicario Generali executioni demandatæ non fuerant. Et ratio est quia Vicarius Capitularis est verus Ordinarius in Diœcesi.

53. IV°. Delegatus licet ex certa notitia cognoverit sibi a Summo Pontifice commissam esse executionem alicujus dispensationis, tamen sub pœna nullitatis actorum nequit dispensationem fulminare, nisi antea sibi fuerint exhibitæ hæ Literæ Apostolicæ delegationem continentes.

54. V°. Delegatus Apostolicus potest quidem alteri subdelegare facultatem complendi actus ordinarios executionis, non vero potest alteri subdelegare ipsam executionem, nisi forte speciatim data fuerit delegato eadem subdelegandi facultas. In delegatione enim facta ad Literas dispensationis executioni mandandas censetur commissum fuisse nudum ministerium, circa quod præsumitur, electam fuisse industriam illius personæ, quæ dignitate aliqua particulari vel officio peculiari potitur. Unde negotium executionis ab ipsa delegata persona compleri debet.

55. VI°. Delegatus executor debet mandato delegationis fideliter inhærere, nec fulminare dispensationem potest, nisi antea omnia compleverit, quæ in clausulis delegationis exprimuntur.

56. VII°. Delegatus executor in præscriptione eidem in Literis Apostolicis facta gratis omnino operam suam præstare tenetur, et quidem sub pœna excommunicationis majoris Summo Pontifici reservatæ, nec non nullitatis executionis Literarum dispensationis, si aliquod munus, vel præmium etiam sponte oblatum receperit.

Notarius vero seu Cancellarius moderatam taxam pro suo labore et opere in actis conficiendis exigere potest.

57. Quo posito, mense Augusto anni 1870 Episcopus Granatensis Sacrae Congregationi Concilii exponebat, in Hispania consuetudinem invaluisse ut Officiales seu Vicarii Generales in exequendis Literis Apostolicis dispensationis quaedam munera vel stipendia non solum accipere sed etiam exigere solerent. Sacra Congregatio quaestionem in proposita materia expendit die 22. Junii anni 1871, sed eam resolvere noluit.

Verum anno 1880 vertente, Episcopus Mindoniensis eandem excitavit quaestionem sequentia dubia proponens.

1°. 'Potestne Episcopus aliquid muneris exigere in dispensationibus matrimonialibus eidem directe a Sacra Pœnitentiarum commissis, ratione informationum cæterorumque actuum executioni earumdem præcedentium?'

2°. 'Potest aliquid ob eandem rationem muneris exigere in prædictis dispensationibus Cancellarius, vel secretarius Episcopalis?'

3°. 'Potest Vicarius Generalis munera percipere in unaquaque Diœcesi consueta, eo quod careat salario eidem ratione sui officii assignato, quin pœnas canonicas in Brevibus dispensationum eidem commissarum contentas incurrat, et quin ipsæ dispensationes annullentur?'

4°. 'Possunt aliquid ob eandem rationem muneris exigere in prædictis dispensationibus Notarii Curia Ecclesiasticae juxta consuetudinem in unaquaque Diœcesi stabilitam?'

Sacra Congregatio, postquam ex informationibus requisitis consuetudinem in themate de taxis exigendis esse universalem et immemoriam deprehendisset, licet non in omnibus Curis Vicarius Generalis de prædictis taxis participet die 28. Januarii 1882, ut propositis quaestionibus satisfaceret, sibi resolvenda duo dubia proposuit videlicet

1^m 'An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu?'

Et quatenus negative

2^m 'An et quomodo consulendum in casu?'

Responsio prodiit:

'Ad primum quoad executores negative in omnibus.'

'Ad 2^m consulendum Sanctissimo pro sanatione in radice dispensationum et matrimoniorum, quæ nullitatis vitio laborant, et pro absolutione ad cautelam, et condonatione quoad executores.'

Quare Sacra Congregatio tenuit executionem dispensationum gratuitam prorsus esse debere ex parte executoris delegati, et quidem sub pœna excommunicationis et nullitatis executionis, nec robur habere contrariam consuetudinem etiam privilegiatam.

Adhibuit vero S. Congregatio phrasim 'absolutione ad cautelam' eo quia executores in Hispania ob usum fere communem sibi favorabilem poterant excusari a censuris ex bona fide in qua fortasse versabantur.

De sanatione in radice.

58. Sanatio in radice nihil aliud est quam abrogatio legis irritantis matrimonium in casu speciali quoad matrimonium contractum, ita ut simul tollantur effectus, qui ex illa lege irritante secuti sunt. Videlicet Ecclesia hic et nunc dispensat super aliquod impedimentum dirimens matrimonium, et simul tollit effectus, qui ex illo impedimento secuti sunt.

59. In hoc autem sanatio in radice distinguitur ab aliis dispensationibus in forma communi concessis, ut nempe dispensationes in forma communi a momento quo applicantur incipiant vires suas exercere, et per consequens respiciant futurum, sanatio autem in radice retrahitur ad momentum celebrati contractus matrimonii. Quamvis lex retro non respiciat, tamen potest legislator declarare et habere uti legitimos actus illos et effectus qui fuerunt illegitimi eo quod adversarentur legi irritanti.

60. Exemplum Doctores desumunt ex facto Clementis V., qui recognovit uti legitimas collationes beneficiorum, quæ ex lege Bonif. VIII. fuerant illegitimæ et nullæ, simulque sanavit defectus illegitimæ possessionis præcedentis. Cf. Clem. 'Quoniam' 'De Immunitate'. Quapropter conceptus sanationis in radice in eo consistit ut Ecclesia dispensando ab impedimento dirimente recognoscat uti legitimum consensum conjugalem a contrahentibus nulliter exhibitum, ob impedimentum quod obstabat. Quare formula quæ adhiberi solet hæc est 'Ecclesia dispensando sanat in radice'.

61. Exempla sanationis in radice antiquis temporibus rarissima erant. Historia tamen refert a Bonifacio VIII. fuisse concessam sanationem in radice. Frequentiores autem cœperunt esse sanationes in radice sub fine sæculi elapsi et nostris temporibus, ob mutatas temporum circumstantias. Notandum est per sanationem in radice legitimos reddi actus ex matrimonio nulliter con-

tracto derivantes, qui tamen subsunt potestati Ecclesiæ. Hinc Ecclesia sanare nequit effectus ab ea independentes quique descendunt essentialiter ex matrimonio nullo. Hinc si prætensi contrahentes mala fide matrimonium consummaverint, per sanationem in radice non censetur sublata culpa.

62. Requisita ut sanatio concedatur hæc sunt. 1^o. Ut impedimentum sit juris Ecclesiastici, super quo Ecclesia possit et soleat dispensare. 2^o. Ut unio inter virum et mulierem habeat figuram matrimonii, id est, requiritur ut revera contractum fuerit matrimonium licet nulliter ob impedimentum obstans. Nam sanatio in radice eo dirigitur ut consensum maritalem illegitime positum reddat legitimum. Si ergo desit consensus in forma matrimonii positus, deest radix circa quam sanatio facienda est. Quare unio concubinitus non potest in radicem sanari. *Cf. Ben. XIV. Quest. Can. 174. Pyrrhus Corr. L. 8. c. 3. De Disp. Mat. n. 53. Giovine, De Dispen. Tom. 1. p. 3. consult. 23. § 324. n. 8.* 3^o. Requiritur ut consensus primitus positus in forma matrimoniali non fuerit revocatus, sed necesse est ut saltem virtualiter perseveret. Si enim consensus hic fuerit revocatus, licet inter virum et mulierem removeatur impedimentum obstans, tamen non potest consistere matrimonium ob defectum consensus. 4^o. Requiritur causa gravis, immo juxta Ben. XIV. quando agitur de sanatione quoad forum externum requiritur causa urgens.

63. Concedi solet dispensatio seu sanatio in radice quando unus ex contrahentibus cognoscat impedimentum et velit consulere conscientiam suam ad vitandum statum peccati, prævidet autem alterum prætensum conjugem non esse renovaturum consensum si dispensatio obtineatur in forma communi ad revalidandum matrimonium.

Hinc ad evitanda scandala, et ad evitandam reparationem expostulatur sanatio in radice, qua consensus primitus positus et virtualiter adhuc perseverans legitimus ab ecclesia redditur. Hæc postulatio regulariter a Confessario proponitur Sacræ Pœnitentiariæ.

64. Sanatio in radice licet plerumque expostuletur pro impedimentis occultis, et in remedium conscientiam putatorum conjugum; tamen expostulari etiam potest pro impedimentis publicis, nec non quoties dispensatio concessa vel ejus executio vitio aliquo substantiali laboraverit.

Et quidem hoc in casu potest expostulari sanatio in radice ex officio vel a Curia Episcopali, vel a Parocho proprio. Nec officit ignorantia putatorum conjugum. Nam Ecclesia auctoritate propria independentem a contrahentibus potest optime auferre impedimentum, quod obstat valori alicujus matrimonii.

65. Quando impedimentum obstans valori matrimonii est natura sua occultum, ita ut in foro externo nullimode probari possit, tunc conceditur sanatio in radice pro solo foro interno; quando autem impedimentum est de sui natura publicum vel vitium in dispensatione detegi possit, tunc sanatio conceditur pro utroque foro, et memoria in forma authentica concessionis facta, asservatur vel in Curia Episcopali Diocesana, vel in actis propriæ Parœciæ ut difficultatibus quæ forte in futurum occurrere possint, solutio præbeatur.

66. Ad sanationem in radice quoad impedimentum publicum frequentiores casus petitionis et concessionis respiciunt sanationem matrimonii nulliter contracti ob impedimentum clandestinitatis. Videlicet sanatur in radice consensus conjugalis præstitus in forma civili, quando tamen causa gravis verificetur, et non possit obtineri renovatio consensus antea præstiti ab altero conjugem coram Ecclesia, et interea prætensi conjuges maritale commercium inter sese exercuerunt.

67. Tandem sanatio in radice potest expostulari et obtineri etiam demortuis præsumptis conjugibus, vel defuncto tantum alterutro ex eis, ad legitimationem prolis ex illo putato matrimonio enatæ obtinendam. Idest ipsi filii poterunt expostulare ab auctoritate ecclesiastica sanationem in radice matrimonii quod parentes ipsorum contraxerant, ut obtineant effectus legitimitatis. Hæc vero sanatio conceditur tantum, quando filii ipsi geniti fuerint ex unione parentum suorum, quæ unio habebat coram hominibus figuram matrimonii.

